



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 9. Sacerdotes mali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

tatem : ut, etiamſi Dominus aliquem, uti plantam inutilem, excindere jubeat; ipſe tamen inſitor debeat ſupplicare; ut ignoſcat parumper, ac ſententiam differat. Noli eſſe tam facilis ad amputandum, & excindendum, tu; qui Dominum, nè id faciat, debes obſecrare. Diligentiam adhibeto, reprehentionibus circumſodito cohortationibus foveto, tanquam ſinu. Tuum eſt placare Judicis animum. Demus operam, ut eodem nomine, quò Dominus, appellemur. Arcones in If. 1. 5. Diſc. 8. Unguntur manus Presbyteris, ut opera miſericordiæ pro viribus ad omnes debeant exercere. Innocentius III. P. de ſacr. alt. myſt. l. 1. c. 9.

Volens nunquam jus deferam, coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum, reſiſtere. Sanct. Ambroſ. Orat. in Auxentium de Baſilicis tradendis ſub initium. Exhibes robore, vigilantia, proſperitate, principem; manſuetudine ſacerdotem. Ennodius Panegyricò dictò clementiſſimo Regi Theodorico.

Sacerdotum manus inunguntur, in ſignum, quòd nihil deberet remanere in manibus ſuis, quod pauperibus non darent. Hugo Card. in Pl. 58.

Humilient ſe ſacri altaris miniſtri; non præſſe, ſed ſubeſſe, deſiderent; atque ſanctitate, non honore, ceteros præire. Meminerint, ſe æterni regis vocatos eſſe ad nuptias; proinde ſuperioris diſcubitiis in ſe appetitum ſupprimant, noviffimùmque cum patientia locum teneant, quatenus cum honore ſuperius aſcendere queant. Iſraeli eſt prælatus Saul; non quia ſtaturæ inventus eſt proceræ. Sed quoniam repertus eſt humilis. *Cum parvulus eſſes in oculis tuis &c.* 1. Reg. 15. 17. S. Laurent. Juſtin. ſ. in feſto Corp. Chr.

## §. VII.

*Sacerdotes fugiant vitia.*

*Labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & legem requirent de ore ejus.* Malach. 2. 7. non nugæ profeſſò vel fabulas. Conſecraſti os tuum Evangelio; talibus jam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegum eſt. S. Bernardus l. 2. de Conſid. ad Eugentium.

Inter ſæculares nugæ nugæ ſunt; in ore ſacerdotis blaſphemia. Id. ibid.

Si Sacerdotis, examinaveris vitam, invenerisque redolentem unguentis, ac roſis; biſſò, ac purpurâ, florentem, ac menſis pinguibus inhaerentem; in qua non adhibentur, niſi defæcata, & clariſſima vina, & unguenta pretioſiſſima; & quæcunque alia ſuavia ijs guſtatu videntur: rectè in hunc Evangelicis utens verbis, fructum video, ſacerdotalem arborem non recognoſco: alius eſt enim ſacerdotii fructus ab iſto. S. Greg. Nyſſ. l. de vita Moyſis.

Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium. S. Chryſoſt. l. 26.

## §. IIX.

*Sacerdos qualis erga oves eſſe debeat.*

*Sculpes in eis nomina filiorum Iſrael.* Ex. 28. 9. Significabatur, ſacerdotem ex officio debere orare pro ſingulis populi tribubus; eòſque quaſi humeris ſuis portare. Cornelius hic.

*Vos eſtis ſal terra.* Matth. 5. 13. Quid animas hominum, niſi cibum Domini dixerimus? quæ ad hoc ſunt conditæ; ut in ejus corpore trajiciantur, id eſt, ut in æternum Eccleſiæ augmentum tendant. Si cibus Dei eſt populus; condimentum cibi Sacerdotes eſſe debuerunt. S. Gregor. hom. 17. in Evang.

*Pafce oves meas.* Joan. 21. 17. S. Auguſt. tr. 123. in Joan. quid eſt aliud, ſi diligis me, *paſce oves meas*; quàm ſi diceretur: ſi me diligis, non te paſcere cogita, ſed oves meas: ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; Dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua: nè ſis in eorum ſocietate, qui pertinent ad tempora periculofa ſeipſos amantes.

*Seniores, qui in vobis ſunt, obſecropafcite - neque turpis lucri gratiâ.* 1. Petri 5. 1. 2. Gubernate animas velut Paſtores, non Domini: ſtipendium veſtrum ſit propriæ utilitatis neglectus. Non jubeo mulgere oves, non tondere; multò minus rapere, & vovare; ſed illas curate, paſcite, & nihil præterea, Oliva l. 1. conc. 20.

Coci Sacerdotes ſunt: quia dum electis Fidelibus in fervore ſpiritus loquuntur, cibos mentis veluti per ignem coquunt. S. Gregor. l. 4. in 1. Reg. 8.

Cibus Sacerdotis eſt in peccatorum remiſſione. Unde ait Princeps Sacerdotum Joan. 4. 34. *meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus &c.* Quæ eſt voluntas Dei, niſi ea: cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. S. Ambroſ. ep. 3.

Inclinet ſe Sacerdos, condeſcendendo infirmitatibus lapſorum; ſicut & Chriſtus inclinans ſe digito ſcribebat in terra. Petrus Cell. l. de pan, c. 19.

## §. IX.

*Sacerdotes mali.*

*Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos.* Dan. 5. 4. Hæc agebantur, non in cœnula Religioſi, ſed in regio convivio Balthaſaris. O quam religioſior eſt interdum ſuperſtitio, quàm religio! Impii in convivio deorum recordantur ligneorum; nec recordantur ſolum, ſed eos laudant: Chriſti Sacerdotes nonnulli utinam DEUM laudare non ſaſtidiunt vel inter choros Pfallentium DEO! Illi meminerunt idolorum in menſis; nos menſarum recordamur in aris. Oliva l. 9. ſtom. §. Bibebant.

Peccata

*Peccata populi mei comedent.* Of. 4. 8. Triplex hic affertur sensus. Primus q. d. Sacerdotes comedunt, id est, luent pœnas peccatorum populi; quorum causa fuere suâ dissimulatione. Secundus q. d. peccata, id est, hostias, pro peccato oblatas comedunt, sacerdotes, in iisque epulantur. Tertius, peccata populi comedunt, qui precibus, & victimis suis ea abolent, & consumunt. Verum hæc est laus sacerdotis, non probrum, de quo hic agitur. Dico ergo, sensus est: Sacerdotes peccata populi comedunt, ea laudando, dissimulando, & in se, suamque conscientiam, ea suscipiendo. Ità enim agendo, quasi absorbeant peccata populi, ernâtque causa ut multiplicarentur. Dicebant enim adulando: illud nullum, vel leve esse peccatum: Deus scit, nos esse fragiles, infirmos. Tales ergo sciens tolerat, iisque compatitur. Non ergo fitis anxij &c. S. Gregor. hom. 17. in Evangelia: cur peccata populi comedunt? nisi quia peccata delinquentium fovent; nè temporalia stipendia amittant. Cornelius hic.

*Ingressus templum cepit ejicere &c.* Luc. 19. 47. Attendendum, quòd Dominus statim post annuntiationem excidii Jerusalem intravit ad templum purgandum: ut ostendat, quòd maxima causa destructionis ejus fuit peccatum Sacerdotum. S. Bonaventura hic.

Grandis dignitas Sacerdotum; sed grandis ruina eorum, si peccant. Latemur ad ascensum; sed timeamus ad lapsam. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. S. Hieron. in c. 44. Ezechielis.

Nullâ re Deus magis offenditur, quàm si quis indignus sacerdotii dignitate præfulgeat. S. Chrylost. hom. 41. in Matth. 12.

Pro universo, qui peccârat, populo, tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote: id autem significat; quòd major est au-

thoritas, eò est gravius eorum, qui peccant, supplicium. S. Chrylost. in Pl. 6.

Clerici ambiunt quidem ad sacerdotium pervenire; sed non student digni sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 2.

Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. S. Bernardus ep. 42.

Solebat dicere S. Bonifacius M. & Ep. Ultrajectensis: quondam aurei sacerdotes utebantur ligneis calicibus; nunc lignei sacerdotes aureis calicibus. Gavantus p. 2. tit. 1.

Magis loquuntur centum verba pro Mundo, quàm pro meo honore unum: magis darent centum marcas auri pro Mundo, quàm unum denarium pro me: magis centies laborarent pro propria utilitate, & Mundi, quàm semel pro honore meo. Revel. S. Brig. l. 1. c. 47. verba Chr. de malo sacerdote.

### Miscellanea.

*Fac mihi inde pulmentum.* Gen. 27. 3. 4. Cur Isaac petiit ab Esau carnem ferinam ex venatione potiùs, quàm pullorum, vel agnorum; cum ea domi haberet, antequam ei benediceret? Docuit Isaac, dantes spiritualia, exigere posse temporalia, nimirum sacerdotes; qui docent, orant, & benedicunt populo à populo ali debere. Cornelius hic.

Propterea vocantur Clerici: vel quia de sorte sunt Domini; vel quia Dominus ipse fors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. S. Hieron. ep. ad Nepotianum de vita Clericorum.

Haud planè sacerdotium dominatio est; quin potiùs, ut quis intelligat, servitus. S. Asterius hom. in SS. Petrum, & Paulum.

## TITULUS II. SACRAMENTA.

**V**ox Domini super aquas. Pl. 28. 3. Baptismus. Vox Domini in virtute, Confirmatio. Vox Domini in magnificentia, Eucharistia. Vox Domini confringentis cedros, Pœnitentia. Vox Domini intercedentis flammam ignis, Matrimonium. Vox Domini preparantis cervos, Extrema unctio. Vox Domini concutientis desertum. Ordo. S. Vinc. Ferr. l. 1. Dom. Oculi. Vox Domini super aquas. Hæc est vox, quam Dominus proferre iussit in Baptismo: ego te baptizo &c. Vox Dom. in virtute, quâ fit Sacramentum confirmationis. Vox Domini magnificentia, quâ fit munificentissimum sacramentum Eucharistia. Vox Dom. confringentis cedros, quâ Sacramentum Pœnitentiæ perficitur. Vox Dom. intercedentis flammam ignis, quâ conficitur Sacramentum extremae unctionis, & tolluntur reliquæ pecca-

torum, & concupiscentiarum. Vox Dom. concutientis desertum. Cades, id est, Sanctum, quâ conficitur Sacramentum ordinis, & consecrantur sacerdotes, ac ministri Ecclesiæ, segreganturque à cœtu populi in sortem Domini, ut Sancti sint. Vox Dom. preparantis cervos, seu, ut Hieron. ex Hebræo, vox Dom. obstericantis cervas, id est, adjuvantis ad partum; quâ conficitur Sacramentum matrimonii, quò gratia confertur conjugibus ad dignè filios procreandos. De Pon. in Cant. 2. Exh. 8. §. 1.

Ungebant oleo multos agnos, & sanabantur. Marci 6. 13. Ex hoc elicitur, quòd extrema unctio infirmorum fuit ante Passionem instituta à Christo. Dion. Carthus. hic.

Linivit lutum super oculos ejus. Joân. 9. 6. Cum Christus solâ voluntate, aut verbò, aut tactu manûs, & solò sputo, absque luto, visum potuisset restituere cœco nato; quid est, quòd